

*coetus* durchzulesen. Eigentlich ist, wie bei dem *insigni* (Cul. 127), wieder nur ein Zeichen hinzugefügt. Ohne die kurzsichtige Interpolation des *u* wäre das Richtige wahrscheinlich längst gefunden<sup>1</sup>.

Kiel.

S. Sudhaus.

De Ciceronis officina

Sane in oratoris officinam intro duci atque ipsum dum commentatur audire nobis videtur, quin difficultates, quibus solvendis neminem nisi ipsum esse posse putabamus, facile tolli intellegimus luculenta Nordeni disputatione (BSB 1913. 2 sqq.), qua de Caeliana potissimum oratione exposuit, quae ad persuadendum apta esse apparet. De quo libello cum ad viros harum rerum studiosos refert Hermannus Nohl, ipse quoque earum intellegens existimator, noluit assentiri iis (Wk1Ph 1913. 11. 287 sqq.), quae de altero loco e tertia Catilinaria petito explicata invenit. Est autem hic: (25) 'atque illae tamen omnes dissensiones erant eius modi, Quirites, quae non ad delendam, sed ad commutandam rem publicam pertinerent; non illi nullam esse rem publicam, sed in ea quae esset se esse principes, neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt. atque illae tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium rei publicae quaesivit, eius modi fuerunt, ut non reconciliacione concordiae, sed internicione civium diiudicatae sint.' Qui locus mihi dudum, cum pueros syntaxim Latinam docerem, perquam aptus videbatur, quo quid inter perfecti et imperfecti tam indicativi quam coniunctivi usum interesset illustrarem. Namque quod priore loco Cicero dicit 'illae dissensiones erant eius modi, quae ad commutandam rem publicam *pertinerent*', nihil aliud agit, nisi ut de genere illarum audientes omnino doceat; idem quod altero loco dicit 'illae dissensiones eius modi fuerunt, ut internicione civium *diiudicatae sint*', audientibus, quos de qualitate illarum satis scire persuasum habet, iam explicandum censet, quem illae habuerint exitum, ut facile fieret transitus ad felicitatem huius in quo tum versabantur belli exitum praedicandum. Vides ita ipsi Ciceroni utramque vindicari sententiam, superesse

<sup>1</sup> Es wäre erwünscht, wenn jemand einmal die charakteristischen Fehler der Appendixüberlieferung zusammenstellte, wie Versverstellung (zB. Cul. 258. 279 vor das unkonstruierbare *atque alias — turmas* 258), Versausfall (Cul. 170 *et se* <*praecipitans cursu furibundusque erigit altum*> *sublimi cervice caput*), Missverständnis von Kompendien wie Cul. 168, wo Leo schön *irae* aus *aurae* hergestellt hat, wo aber das *ai* am Anfang wohl missverstandenes *q*; bedeutet: denn so erst fließt die Periode (163—168):

Cul. 167 *squamosos late torquebat motibus orbis,*  
*tollebantque irae venientis ad omnia visus.*

Manch hartes Asyndeton, manche weder innerlich berechnete noch äusserlich (durch *enim*, *nempe* etc.) angedeutete Parenthese würde dann aus diesen Texten verschwinden, die doch gelesen und verstanden sein wollten.

difficultatem propter verborum similitudinem ab omni elegantia alienam. Qua re olim in margine libri mei scripseram priorem sententiam quasi priorem partem videri amplioris metaphrasis earum rerum, quae breviter infra altero enuntiato indicatae essent. Itaque cum, quae Nordenus certis argumentis usus in luce posuit, ea me non intellexisse aut perspexisse, at caeco quodam animi sensu praesumpsisse aliquo modo dicere liceat, aliquantum illi argumentationi probabilitatis accedere censeo; neque eam solam ob causam nunc profero, sed quia ita ea difficultas iam tolli posse videtur, de qua Nordenus certa non pronuntiavit, Nohlius ita iudicat, ut alteram sententiam omnino censeat tollendam. Ut enim suo iure Nohlius quaerit, quam tandem ob causam Cicero induci potuerit, ut quae priore loco scripsisset, corrigenda existimaret, ita infelicissime idem alteram sententiam ab interpolatore quodam scriptam esse pronuntiat, qui iterum dicendum existimaret priores dissensiones cruentum habuisse exitum. Nam ut non dicam sublata hac sententia desiderari, quibus opponatur hoc de quo in proximis est bellum, siquidem tum non dissensiones ante dictae sunt, sed illi dissensionum auctores, tamen quem putamus fuisse illum hominem, qui et sano iudicio scribat, quae rectissime et huic loco aptissime scripta esse cognoscimus, et tanta verborum inopia laboret, ut iterare vocabula paulo supra lecta non dubitet. Immo haec ipsa a Cicerone scripta esse Nordenus evicit nec vero rem ita absolvit, ut omnem dubitationem tolleret propterea, quia et ipse et adversarius priorem sententiam ipsam quoque vere Ciceronianam esse consentientes clare demonstrare non potuerunt, quid post illam sibi vellet altera enuntiatio. At si hanc ipsam primitus scriptam et eam, quae nunc priore loco est, postea demum amplificationis causa compositam nec vero prorsus absolutam ac perfectam superesse censes, et difficultates illae evanescent, et summa cognoscitur similitudo huic loco cum eo, quem antea Nordenus explicavit (Brut. 307), intercedens. Namque sive idem sive duo homines has sententias sic exorsi sunt 'atque illae tamen omnes dissensiones', certe eo consilio scripserunt, ut altera in alterius locum substitueretur; atqui prior uberius est et amplificata, altera brevior et adstricta: quid igitur maiorem habet probabilitatem quam quod supra statuimus illam postea, hanc primitus scriptam esse, hanc autem propter ipsam brevitatem perpallenti minus placuisse, ut pluribus de his rebus dicendum existimaret. Namque severius Nordenus iudicare videtur, quod verba 'quarum nulla exitium rei publicae quaesivit' intellegi posse negat nisi antea auditis illis 'quae non ad delendam, sed ad commutandam rem publicam pertinerent', item severius Nohlius quamquam sua ratiocinatione recte ductus hanc sententiam abesse posse negat: scilicet qui tum Ciceronem audiebant, sentiebant eum de hoc bello Catilinario cogitare, quo sane exitium rei publicae quaesitum esse non semel pronuntiaverat. Quas ita deprehendimus eiusdem aut similis sententiae duas conformationes,

earum ratio similis est atque earum, quas ex oratione Caeliana Nordenus infra p. 13 sq. composuit. Ac si quis via ab hoc viro docto monstrata altius progredi velit, haud scio an etiam clarius possit cognoscere, qua praeterea re Cicero inductus hunc locum retractaverit. Etenim supra (§ 23, 24) cogitavit de statu rei publicae concusso et de vita civium in discrimen vocata, non cogitavit de urbis fortuna, de incensis, eversis, direptis aedificiis: itaque nihil illic de his rebus, immo interitum, caedem, sanguinem, exercitum, acervos corporum, similia audimus. At infra cum dixisset (§ 25) 'qui salva urbe salvi esse possent' hac ipsa agnominatione sensit, quam bene praeter cives salvos, de quibus interim solis cogitaverat, urbis quoque salvae mentio fieret, id quod eleganter tum perreatus est his 'tantum civium quantum caedi restitisset, tantum urbis quantum flamma obire non potuisset', denique se et urbem et cives integros incolumesque servavisse professus. Urbis igitur fortunam cum iam supra aliquo modo significandam sentiret, uberiores illam sententiam scribendam censuisse videtur, praesertim cum in superioribus illis dissensionibus de urbis incendio cogitasse neminem, immo illarum auctores habuisse, cur urbem salvam esse vellent, dicere liceret. At si quis quaerat, quo tandem modo ea, quae iam elegant scripta legimus, Cicero absolvere debuerit, difficultatem quandam cognoscimus non solum propter vocabulum 'tamen' initio scriptum: namque dicendum sane restabat superioris aetatis dissensiones tamen internicione civium diiudicatas esse, sed hoc ita dicendum, ut et praeter superiora illa maiore vi atque pondere efferretur neque officeret iis, quae infra de atrocitate belli Catilinarii dicta erant. Quare etiamsi omnino Noblium vere iudicare censemus Ciceronem eum fuisse, qui si emendandum censeret, iustam rationem statim inveniret, tamen haud scio an eum de hoc loco perpoliendo postea animo libero meditari constituisse aliqua cum probabilitate coniciamus: ita accidere potuit, ut nobis servaretur et prior eius scriptura et ea, quam emendatam amplificatamque scribere coepit neque absolvit.

Monasterii Guestfalorum.

P. E. Sonnenburg.

### Tacitus und der jüngere Plinius

In einer lehrreichen und eindringenden Abhandlung 'zur Quellenanalyse des Plinianischen Panegyricus'<sup>1</sup> behandelt Josef Mesk auch die bekannte Uebereinstimmung zwischen dem Panegyricus des jüngeren Plinius und der Rede, die dem greisen Galba bei der Adoption des Piso von Tacitus in seinen Historien<sup>2</sup> in den Mund gelegt wird. Wie vor ihm Morawski und Wölfflin, so entscheidet sich auch Mesk für die Annahme, dass Plinius die Ausführungen von Galba-Tacitus gekannt und

<sup>1</sup> *Wiener Studien* 33 (1911) S. 71 ff.

<sup>2</sup> *Hist.* I 15 und 16.